

W. Kern Berger





16 471

Ex Historia Ecclesiastica

De

CRESCENTE  
D. PAULI DIS-  
CIPULO,  
DISSERTATIO,

Quam

In Electorali ad Albim Academia

Ampliss. Facultatis Philos. Consensu

PRÆSES

M. JO. JACOB. BECHLERUS,  
NORDLINGA-SVEVUS,

ET

RESPONDENS

CHRISTIAN. FRIDER. Dreütter/

NORDLINGA-SVEVUS.

Publico Eruditorum Examine subjicient

*In Auditorio Philosophorum*

*Kalendis XIII. Julii, Anno M DC LXXXIX.*

VITEMBERGÆ,

Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.



Ex Historia Ecclesiastica

De

CHRISTIANE

D. PALM DI-

SCIPULO

DISSERTATIO

In Regenda ad Altiq. Academia

Ampl. Facult. Philol. Contine

P R A E S E S

M. JO. JACOB. BUCHNERUS

NORDLINGA-BAYUS

ET

RECTORIBUS

CHRISTIAN. FRIDER. STEINMANN

NORDLINGA-BAYUS

Publico Examen Exam. Publicum

in Aduer. Philol. Contine

Kilber XII. Julii. MDCCXXXIX

VITIMPERG

THEOPHILUS





*In Nomine Jesu!*

THESIS I.



Emo tam iniquus rerum aestimator est, qui nesciat, probandam aequè ac prædicandam esse curam Doctorum Ecclesiae nascentis, quam in evolvendo antiquitatis Ecclesiasticae studio adhibuerunt. Ea certè tot sanctissimorum Patrum extant monumenta, ut mirari eadem satis nemo possit: Actum ego agere, & post Homerum Iliada scribere videri possem, & nomina, & scripta eorum commemoraturus. Quo tamen labore partim ex ipsis Patribus nonnulli, partim ii quoque, qui hodiè argumento huic gnaviter vacant, supersedere jubent. Quid? quod hæc prolixius jam persequi in animum non induxerim ob spatii angustiam; quanquam scitu ea sint & jucundissima & utilissima.

II.

Neque verò minori sollicitudine, inferiorique laude egisse eos putandum est, qui, quæ à Majoribus acceperunt, additis etiam suorum temporum gestis, ut posteris dili-

genter, modò quoque sincerè semper, traderent, suam pro-  
barunt operam. His jungi merentur nostri & prioris se-  
culi Scriptores Ecclesiastici, qui ad eum sanè nitorem histo-  
riam sacram redegerunt, ut nemo virorum horum diligen-  
tiam & laborem æstimare satis dignè queat. Inclaruerunt,  
& adhuc clarent inter hos non minùs Angli, atque Galli,  
quàm, quos non postremo ponere debuissim loco, Ger-  
mani nostri. Prodeant namque licet in medium Scri-  
ptores Angli, Duce stipati Rege suo Jacobo, I. quidem Bri-  
tanniæ magnæ, VI. verò Angliæ Rege, Avo infelicissimi Ja-  
cobi II. Hic in Aulâ suâ non tantùm Casaubonum, &  
alios viros doctissimos aluit, sed ipse etiam Princeps fuit  
multò eruditissimus, quod epistolæ & libri ejus testantur.  
Prodeant Galli, eorumque doctissimi Alumni; nulli ego  
vel laudem denegabo, aut detraham. Quodsi tamen &  
Germanis agmen Eruditorum instruere integrum est, nu-  
mero facilè ac laude cum iis certabunt. LEOPOLDUS,  
Principum maximus, invictissimusque, uti dignitate, ita &  
doctrinâ omnes sui temporis Principes antecedit. Alios  
nominare supervacaneum est, quando id agere mihi non  
propofui, tacitè eos venerari contentus, quos rei literariæ  
ornamenta libenter meritoque agnosco. Mihi in præsens  
sufficiat sequi vestigia Doctoris mei atque Præceptoris  
Schurzfleischii, Polyhistoris clarissimi, qui eò quidem cele-  
brior, multoque feliciùs hoc in doctrinæ genere aliis labo-  
rat, quò minùs eum rarissima antiquitatis documenta desti-  
tuunt, atque de Crescente Pauli discipulo, vulgò Gallorum  
Apostolo, pro ingenii tenuitate quædam commentari.

III.

Quanquam verò sterilis hæc, & vix tractatu digna vi-  
deatur materia, tùm quod sacra oracula nil nisi nomen  
Crescen-

Crescentis referant, tùm quod parum certi de eo habeatur in historiarum monumentis: tamen pro viribus adnitar, & quoad possum, de Crescente referam. Non ignoro, neque hîc dissimulo, vulgarem eruditorum quoque animos invasisse opinionem, quod Crescens ille in Galliam Germaniamquè venerit, Paulo interim, si Diis placet, in Britanniam contendente, quod fortè ipsi in mentem nunquam venit: est præterea gloria Gallorum aliorumque, de hoc suo Apostolo tanta, ut inficiantibus crimini dare non erubescant; quam tamen vanam esse inferiùs demonstrabimus.

IV.

Jam quod ad nomen Crescentis attinet, non unâ eademque literarum facie tùm in sacris Pandectis, tùm alibi comparet: recentiorem autem illam puto lectionem, quæ nomen hoc per duplex  $\eta$  exprimit, propterea quod Erasimus, vir græcè pariter atque Latinè peritissimus, nec minùs in Patrum monumentis versatus, eandem corrigat in loco Paulino *II. Tim. IV. 10.* inde forsitan orta, quod in vulgata versione per duplex e legatur, cujus in favorem vulgus Monachorum nefas minimè sibi duxit, textum authenticum non nihil immutare. Quanquam verò & Sophronius Hieronymi familiaris jam legerit  $\kappa\epsilon\eta\sigma\tau\epsilon\iota\varsigma$  in versione Græcâ Catalogi de Scriptoribus Ecclesiasticis: sed lectio hæc meritò deseritur, atque ex veterum exemplarium fide corrigitur. Obiter ex his illud colligo, magnum antiquitatis argumentum pro eorum opinione hîc reperiri, qui græcum  $\eta$  hodie non per i, sed per e latinum exprimunt atque legunt.

V.

Antiquior procul dubio, &, quod inde sequitur, ve-

A 3

rior \*

rior est lectio, quæ in priori Syllaba per *ι*, alterâ per *η* vo-  
cem Crescentis legendam sistit: quam confirmant non  
tantum hodierni accuratiores codices, sed & antiquissima  
Patrum exemplaria. Commodè autem, & ad genium La-  
tinæ linguæ posterior illa Syllaba *ns* in latinorum ens est  
immutata, id quod & aliis nominibus propriis, ex græco  
in latinum translatis accidisse, probant exempla: ita κλή-  
μης convenienter admodum latinè redditum est Clemens,  
nec non Πύδης per Pudens, *conf. cap. IV. 3. Epistola Pauli ad  
Philippenses, & II. ad Tim. IV. 21.* Multa afferre exempla  
in re clarâ non attinet.

## VI.

Enixius in ortum, genus, locumque natalem Crescen-  
tis inquisiturus, non inops sit ab antiquitatis subsidio, nisi  
temerè laborem suscipere, & temporis, cuius tamen jactu-  
râ nulla major est, rationem nullam habere velit: Prose-  
lytum nihilosecius eundem appellare piaculo minimè du-  
xerim: quisquis enim, vel relictâ profanâ infidelium do-  
ctrinâ, ad sacra Christi accedens, vel quoque ex Judæorum  
cætu ad Christi dogmata sequenda adductus, nomine Pro-  
selyti veniebat, nec non κατηχούμενος. *conf. in hanc rem B. D.  
Quenstedius in Antiqq. Ecclesiasticis, p. 910. sqq. item pag.  
926. Albasp. de veteribus Ecclesiarum ritibus sparsim, nec non  
laudatus Dn. Schurzfleischius, Patronus & Præceptor no-  
ster æternum colendus, in Collegio Antiquitatum Ecclesia-  
sticarum passim.*

## VII.

Postquam novus in Dei cœtu advena Crescens in  
Ecclesiam, & Christiani nominis societatem receptus est,  
in religionis capitibus probè institutum ac penitus edo-  
ctum



etum esse à Paulo, Doctore gentium, tantò minùs dubium relinquitur, quantò major est consensus Patrum, Scriptorumque tùm veterum tùm recentiorum, quorum Catalogum doctissimus Serarius enumerat *Lib. II. c. 2. Rerum Moguntinarum*. Qui omnes uno ore fatentur, discipulum Pauli extitisse, ex eoque dogmata doctrinæ ac fidei tam sanctè, tamque tenaciter imbibisse, ut non tantùm sibi ex salutari Evangelii fonte, sed & pro aliis satis hauserit, quos eandem doctrinam docuit. Neque tantùm ex consensu Patrum id elicitur, sed & maximè ex ipso sacro textu, *Thes. IV.* citato, evincitur: finge enim contra omnem antiquitatis auctoritatem, Crescentem, more Demæ, secessionem à Paulo fecisse, atque valedicentem sacris Christi mundi vanitatem pro Christo elegisse; concedendum utique foret, eum ante hoc tempus discipulum Apostoli, æquè ac Demas, fuisse, quin & fratrem, *Gal. 1, 2*. Nihil ergò obstat, quo minùs & in Crescentem trahi illud Apostoli Elogium possit, quod fratribus suis genuinis tribuit in Christo, atque sociis, ac legitur *ad Philippenses IV. 3*.

### VIII.

Ex quibus planum ac perspicuum est, eximium inter Viros Apostolicos fuisse Crescentem, qui ab Apostolis in societatem laborum vocati, quibusque comitum instar, quandoque etiam legatorum usi sunt: hinc Apostolum, non quidem simpliciter, neque etiam Christi, sed Duodecim Virorum, item Pauli, atque certarum Ecclesiarum nominare Crescentem liceat: neque refugit memoriam, eosdem adpellari solitos fuisse tùm à Scriptura, tùm à Patribus Evangelistas, non quidem qui Evangelium in literas redegerunt, sed qui prima Evangelicæ prædicationis fundamenta

damenta posuerunt. Ex quorum classe sanè etiam fuit  
Crescens noster. Eò vid. *Epiphanius lib. I. Panarii de LXXX.  
hæresibus, hæ. XXVI.*

IX.

Operæ prætium hîc omninò facturum me esse arbi-  
tror, expendere quæstionem illam; utrum Crescens ex nu-  
mero LXX. Christi discipulorum fuerit? Circumfertur  
scriptor nomine Dorotheus, qui tamen nomen suum men-  
titur, qui non tantùm numerum LXXII. contra Scriptu-  
ram, sed & singula eorum nomina recenset, ac inter illa  
Crescentis quoque nomen refert. Vid. *Bibliotheca Pa-  
trum*, ubi Catalogus hic continetur, *Tom. VII.* Verùm  
quantum ineptiat Pseudo Dorotheus iste, ejusque sequaces,  
quilibet inde facilè perspicit, propterea quòd & Eusebius  
ingenuè fateatur, nomina illorum discipulorum ignorari,  
*Lib. I. c. 12. Hist. Eccl.* Quid? quod non tantùm viros, sed  
& fœminas in numero referat eorum, qui à Christo ipso vo-  
cati ad docendum emissi sunt; quâ tamen docendi facul-  
tate Scriptura fœminis penitùs interdixit. *Conf. Andreas Ri-  
vetus in Critico S. Lib. III. c. 13.* Taceo, quod & Evangelistæ,  
& eos, qui ne viderunt quidem in carne Christum, in nu-  
mero LXXII. discipulorum habeat.

X.

In eandem ineptitudinis notam incurrunt & ii, qui  
causam Dorothei dicturi asserunt, nomine Discipulorum  
Christi ipsis non intelligi, quos ad præconium verbi sui  
electos emisit, sed quemcunque auditorem & discipu-  
lum, cujus saltem in sacris mentio habeatur. Verùm ita  
ludere

ludere atque in suis nugis sibi placere hos homines, quis non vider? non advertentes, & ipsum Antesignanum suum plurimis apud suos displicere. Neque numerum etiam accuratum inierunt vel Dorotheus, vel qui mentem ejus explicant: quod si enim is, qui vel audivit, vel secutus est doctrinam Christi, inter discipulos venit istos, non amplius LXX. vel LXXII. numerare opus est, sed longè major prodibit numerus; imò tantùm abest, ut LXX. asseramus, ut DCC. & plures in promptu sit numerare. Quod nec abnuit Eusebius, innumeros affirmans solius Pauli non Auditorum, sed discipulorum extitisse, laborumque sacrorum socios, confer. *lib. III. c. 4. Hist. Eccl. cum 1. Cor. XV. 6.*

### XI.

Ad leviora hætenus nostra deflexit oratio: monentem jam audire videor, ne curando alia, caput ipsius argumenti omittam, quod est, ut exquisitiùs inquiratur, quibus terrarum locis Crescens, atque quo tempore docuerit, quod utrumque definire videtur oraculum illud Paulinum, eò majori cum antiquitatis cura tractandum, quò magis illud venit in controversiam. Quanquam enim variæ circa hoc oraculum doctorum sint sententiæ, veriore tamen ex eis amplectemur, missis aliorum vel falsis, vel quoque suspectis opinionibus. Non pigror ex ipsis fontibus locum illum Pauli vexatum afferre, qui legitur *2. Tim. IV. 10.* his verbis: *κρίσις εἰς γαλαλίαν*, scilicet *ἐπορεύθη*, quæ vox ex proximè præcedentibus verbis repetenda est, ut sensus rectè sese habeat, perfectusque reddatur.

### XII.

Illud adhuc observasse alienum non fuerit, *πορείαν*, si-  
ve profectionem Crescentis ita intelligendam esse, ut non

B

tam

tam sponte sua, quam jussu & mandato Magistri sui in Galatiam abierit, atque adeo non perinde, ac à Paulo Demas, defecerit: secus enim idem de Tito habendum esset; quem verò ab Apostolo profugisse, neque venia ipsius in Dalmatiam ivisse, tantum abest ut statuam, ut honestissimam potius ubicunque ejus mentionem faciendam esse, scriptura nos moneat. Nunc ad rem.

### XIII.

Tantam nonnullorum animos audaciam occupasse passim non sine dolore cernitur, ut pro arbitrato sibi jussumant corrigendi, mutandi, intervertendi que non tantum profanos, sed quoque sacros divinosque Scriptores, ut suae saltem sententiae nescio quid subsidii afferant: fides in oculis homunculorum horum fuit vox Galatia, quam ferre non potuerunt; proinde expuncta eadem, Galliam supposuerunt. Quantum hi temeritatis praemium aliquando sint habituri, meum jam non est definire. Neque è re foret eosdem refellere, cum sententia haec cuivis cordato suspecta atque exosa merito appareat.

### XIV.

Est & in vulgus nota, neque tamen eruditorum auribus ingrata opinio, venisse Crescentem non in Galliam modo, sed & Germaniam Rheno vicinam; unde communiter Celtarum (quo nomine & Gallos & Germanos intelligunt) Apostolus, atque Doctor primus audit. Neque illud ipsis sufficit nominasse has provincias, sed etiam urbes, in quibus docuerit, referunt; Viennam nimirum Gallicam, Moguntiam, Coloniamque, in quibus locis sedes  
Epi.

Episcopales constituisse tradunt. Ne verò finxisse talia sententiæ hujus auctores videantur, ad locum Pauli citatum provocant affirmantes, non tam legendum ibi esse Γαλατίαν, quàm Γαλλίας: per Galliam verò ex usu scriptorum profanorum innui non tantum ipsam Galliam, sed & adjacentes finitimasque provincias & urbes, inter quas merito referenda Moguntia. Ita memini statuere, atque pro aris & focis pugnare Serarium: Sed num in hac opinione sequendus sit, ambigere merito liceat; à me sanè veritatis amante, hætenus assensum impetrare non potuit, nec fortè impetrabit, quamvis habeat, qui non multum ab eo in diversum abeant.

XV.

Sed si res à principio repetenda est, fucus facillimè sese prodet, atque fumos venditare ita sentientes apparebit. Verum namque est, & indubitatum, unam Galatiam & apud auctores, eosque tam sacros, quàm profanos, itemque apud Geographos reperiri; quæ est regio Chersonesi illius magnæ, in termino Asiæ minoris & majoris sita, pars terræ, quæ hodiè Natolia dicitur, olim Gallo-Græcia. Galatiam verò hanc, ut & ejus incolas Galatas à Gallis Europeis originem & nomen ducere, tantum abest ut diffitear, ut quoque ultrò velim ire in eam sententiam. Hi enim cum domi multitudine hominum abundarent, ut terra eos non amplius caperet, ver sacrum instituerunt, colonosque inter alia terrarum loca in græciam miserunt, non modò Europeam, sed & Asiaticam; ubi rebus feliciter gestis eam deinceps fortitudinis famam apud nationem istam acquisiverunt, ut *neque Majestatem suam tutari* (ita malim cum Sospitatores Justinii Nobilissimo Bongarsio legere, quàm tutam) *neque*

amissam recuperare se posse sine gallica virtute arbitrarentur. Vid. Justinus lib. XXV. cap. II. num. 10. pag. 373. Edit. Berneg. conf. etiam Strabo lib. IV. nec non Cæsar lib. VI. de bello Gallico.

## XVI.

Cæterum Græci hi populi à Gallis devicti non solum imperium eorum, sed & nomen accipere coacti sunt, ut Gallo-Græci, vel Græco Galli appellarentur; quanquam paulo post à genuina voce deflectentes, Galatas sese vocarunt pro Gallis, fortè ex odio erga Victores suos, atque quod nomen hoc tanquam πολυσύλλαβον linguæ suæ magis conveniret: quam appellationem postmodum servarunt perpetuò non tantum inter se, sed quoque apud exteros. V. Appianus, qui bis Gallos Asiaticos γαλάτας vocat, in bellis Mithridaticis; conf. Epistola Pauli ad Galatas cap. II. 1. Justinus lib. XXXVII. cap. IV. num. 6. Ingeniosa proinde magis, & ad exprobandum apta, quàm vera est Etymologia illa Hieronymi vocis galatæ, quando ab Hebræorum גלגל quod transmutationem notat, deducit, quòd Galatæ à vera doctrina Pauli & Petri Apostolorum tam citò fuerint aversi, atque à Pseudapostolis abalienati. Idem Hieronymus in Commentariorum lib. II, Epistola ad Galatas disertè testatur, primùm regionem hujus populi Gallogræciam, post Galatiam esse dictam: ex quo proinde corrigenda est lectio, quæ habetur in Catalogo Scriptorum Eccles. quæ fortè ex incuriâ subrepsit.

## XVII.

Ex ante dictis intelligitur, nullam unquam regionem præter jam dictam nomine Galatiæ venisse; ut adeò minùs rectè

rectè Galli nostri vicini hoc nomen sibi vendicent, gal-  
liamque occidentalem vocitent galatiam; ut nihil dicam  
de Germania. Illud quidem certum est, gallos antiquos eò  
penetrasse, ab eisque nomen accepisse; sed tamen & illud  
absurdum videtur, sedes antiquas suis exuere nominibus,  
novaque aliarum provinciarum imponere: ita qui Hispa-  
niam eodem nomine, quo olim Rex novas Indiae occiden-  
talis provincias atque insulas à suis occupatas insignivit,  
appellare vellet, quis ambigat, fore, ut sese risui ludibrioque  
exponat.

XIIX.

Sed habent adhuc, quo se muniri putant, qui Crescen-  
tem non in Asiaticam, sed Europeanam, Germaniamque ve-  
nisse asserunt; scilicet objiciunt, mentem Pauli explicare  
Patres, interque hos Epiphanium, Eusebium, Hierony-  
mum, aliosque ex recentioribus citant. Ast, ut ne aucto-  
ritatem opponam auctoritati, cum unicus Chrysostomus  
non minoris, quam citati, majoris verò quam recentiores  
omnes, sit auctoritatis, ac pro me satis militet: tantum  
enim abest, ut sancti hi viri alienum à nostrâ sententiâ quid  
statuant, ut sensum planè eund. nobiscum teneant. Et Hie-  
ronymi quidem sententiam *Thesi XVI.* nostram jam feci-  
mus. Eusebii quoque lectio usque adeò non placet Gal-  
lis, ut malint γαλατίαν pro γαλλίας legere. *Vid. Euseb. lib. III.  
c. 4. p. 74. Edit. Valesiana, & ipse Valesius in notis ad hunc lo-  
cum.* Quò minùs etiam Epiphanius Galliam orientalem,  
sive Galatiam intelligat, parum obstare videtur. *Vid. in hæ-  
resi Alogorum num. XI.*

XIX.

Quo porrò in loco & numero habenda sit ista colle-  
ctio, quis non videt? tempore Irenæi multæ jam in Galliâ

atque Germaniâ fuerunt Ecclesiæ, oportuit igitur Crescentem ea in loca pervenisse. Quod etiam Paulus, si profectus est in Britanniam, dimiserit Crescentem. Maternum & Crescentium, æquè probatu est difficile ex Eusebio, quàm facilè est illud negare. Excidunt proinde gloriâ suâ omnes ii, qui Crescentem & Coloniae & Moguntiae sedes Episcopales constituisse asserunt; de Gallis verò mirari satis non possum, quod ita contra antiquitatem frustra pugnent, cum tamen Dionysium Areopagitam, imò ipsum Paulum præconem Evangelii habuisse gloriantur. conf. jam laudatus, nec tamen satis laudandus Dn. Schurzfl. in Collegio Hist. Eccles. in vita Dionysii.

XX.

Illà verò conjectura non adeò absurda videtur, quod Crescens auctoritate Pauli in Galatiam profectus illam ipsam epistolam, quæ in Canone habetur, ad Galatas pertulerit, tum quod tempus non repugnet, tum quod muneri suo indecorum minimè fuerit, quod antiquitatis cultoribus obscurum esse non potest; tum denique, quod nomen afferentis epistolam illam expressum ibi non legatur: Neque præterea vel ingenium Galatarum, quo fuerunt vario, vel senium atque instans Apostoli martyrium disuadent, Crescentem à Paulo in Galatiam fuisse missum; id quod & probant Constitutiones Apostolorum, lib. 1. c. 47. ubi auctor illarum, quisquis etiam ille fuerit, ejusmodi Apostolorum format decretum: Crescentem Episcopum Galatiæ ordinavimus: Martyrologium quoque Romanum in Asiaticam Galliam ivisse Crescentem innuit, d. 27. Junii.

XXI.

Quod si igitur dicta ac refutata hucusque sententia  
neque



neque Scripturâ, neque Patribus, neque Menologiis, neque denique domesticis Scriptoribus pro se uti potest; quid est, quod moveat, ut in eam accedamus? Certe Petrus venerabilis, Abbas Cluniacensis argumentum hoc de rebus & initiis Moguntiaë tractat, neque tamen vel verbo ejus mentionem facit, multò minùs quod eò pervenerit, aut Episcopus ibidem fuerit. Quid, quod si Crescens primus Doctor & Apostolus Moguntinorum fuit, non video, quo jure Bonifacio idem honor atque nomen tribui possit?

### XXII.

Verùm an literis aliquid ac posteritati Crescens tradiderit, non liquet; quoniam si aliqua consignasset, deperdita tamen ea hodiè doleremus, propterea quòd ne fragmenta quidem eorum adhuc extant. Longævum verò nostrum fuisse tantùm abest, ut negemus, ut singulari Dei consilio & curâ factum esse affirmemus, ad provectissimam reservare ætatem homines istos, qui, quæ ab Apostolis & Viris sanctis dicta præstitaque sunt, tanquam testes oculati comprobare possent. Sic Ignatium & Polycarpum plures, atque alii solent, annos superasse legitur: taceo, ut brevis sim, Hermiam, Quadratum, Simeonem Episcopum Hierosolymitanum, quibus annumerare Crescentem utique licebit. *conf. Menologia & Martyrologia passim*, quæ tamen ob fabulas, quibus interpolata sunt, cautè legenda.

### XXIII.

Eadem denique fata, quæ cum Apostolis & eorum successoribus communia habuit, tristia scilicet manserunt Crescentem quoque nostrum, de quo ut tantò minùs dubitetur, vix unicum Apostoli alicujus vel viri apostolici exem-

exemplum legitur, qui non violentâ obierit morte. Documenta quoque hujus rei nos minimè destituunt, affirmantibus quippe apostolicarum Constitutionum Scriptore, Beda, atque Adone, Martyrologis, Martyrem eum evasisse. Quibus adstipulatur Martyrologium Romanum, ad gentem (dicens) rediens Crescens, cui specialiter datus erat Episcopus, cum Galatas ipsos usque ad finem suæ vitæ in opere divino confirmasset, sub Trajano demum Martyrium consummavit. Quibus testimoniis minimè obnititur Hieronymus *in Scriptorum Ecclesiasticorum Catalogo*, *sepultum eum* affirmans; cum exacto exquisitissimo cruciatu ac dolore nihilominus sepeliri potuit, id quod frequentissimè Martyribus in prima Ecclesia accidisse memoratur.

#### XXIV.

Coronidis loco illud adhuc adjiciendum duxi, diversum hunc Crescentem esse ab illo Philosopho Cynico, idem cum nostro nomen Crescentis habente; qui convictus à Justino Martyre publicè, tantas in sanctum virum paravit insidias, ut noctesque diesque martyrium ipsius maturare enixè studeret. Integro namque seculo alter ab altero distat. Quam in rem videatur ipse B. Martyr *in Apologiis ad Antoninum Imperatorem pro Christianorum innocentia*, & Eusebius *in Hist. Eccles. lib. IV. c. 16*. Stylum & scriptionem contrahere hîc jubent leges Academicæ, quas sanctissimè observare curæ mihi semper fuit atque religioni.

F I N I S.

94 A 7379

ULB Halle

3

002 376 911




sb

WAT

7/4 Nov 1993





16 477

Ex Historia Ecclesiastica  
De

CRESCENTE  
D. PAULI DIS-  
CIPULO,  
DISSERTATIO,

Quam

In Electorali ad Albim Academia  
Ampliss. Facultatis Philos. Consensu

PRÆSES

M. JO. JACOB. BECHLERUS,  
NORDLINGA-SVEVUS,

ET

RESPONDENS

CHRISTIAN. FRIDER. Dreütter/  
NORDLINGA-SVEVUS.

Publico Eruditorum Examini subjicient

*In Auditorio Philosophorum*

*Kalendis XIII. Julii, Anno M DC LXXXIX.*

VITENBERGÆ,

Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

